



Sammelwerk für



1764 2

DIVERSAS IN REPUBLICA
RELIGIONES ADMITTI POSSE,
DEMONSTRAT,
ET

VIROS

GENEROSISSIMOS PLVRIMVM
REVERENDOS EXCELLENTISSIMOS, PRAE-
NOBILISSIMOS, CONSVLTISSIMOS,
AMPLISSIMOS etc.

SCHOLÆ REFORMATÆ FAVTORES ATQVE IN-
SPECTORES OMNI QVA DECET, ANIMI MO-
DESTIA COLENDOS

AEQVE AC

OMNES LITTERARVM ELEGANTIORVM
CVLTORES, CVIVSVIS ORDINIS SPE-
CTATISSIMOS

AD

EXAMEN ANNVVM

CVI ORDINIS SECVNDI DISCVPLI SVBICIENTVR

DIE X. APRIL. MDCCCLXIV. HOR. 9—12. MAT.

HVMANISSIME INVITAT,

IOANNES AVGVSTVS LVIDICKE,
CONRECTOR.

COTHENII,
LITTERIS SCHOENDORFIANIS.



VILKOS

STRECKENHAGEN

1784

1784

1784

1784

1784

1784

1784

1784

1784

1784

1784

1784



SERENISSIMO CLEMENTISSIMO PRIN-
CIPĪ ac DOMINO,
D O M I N O
C A R O L O G E O R G I O
L E B R E C H T O,
P R I N C I P I A N H A L T I N O, D V C I S A X O N I A E,
A N G R I A E & G V E S T P H A L I A E, C O M I T I A -
S C A N I A E, D O M I N O B E R N B V R G I
ac S E R V E S T A E etc.
E Q V I T I A L B A E A Q V I L A E, etc.
D O M I N O S V O C L E M E N T I S S I M O

H V M I L L I M E O F F E R T,

A V C T O R.





Ummum illud & æternum Numen neque mutabile neque interiturum, quod inter est animis nostris & cogitationibus mediis intervenit, ex quo omnia, per quod omnia, in quo omnia recte agnoscere, & sincere colere, fundamentum est & columna totius Republicæ. Hac sola virtute universa hominum constat societas: hic murus aheneus: hoc propugnaculum, hoc tutamen est: hac sola Romana gens orbem terrarum subegit; hanc si tollis, vita hominum stultitia, scelere, immanitate complectitur. Vtrique autem tam qui impurant quam qui parent, arcta quadam catena inter se devincti, magnum Imperii robur & fulcrum addunt, si non fide, non superstitiosis animis Religionem tueantur & propagent, magnam e contra eidem ruinam & stragem accersunt, si susceptæ fuerint, contra quam fas est, impiæ religiones.

Di multa neglecti dederunt

Hesperia mala luctuose

cantat Horatius, & Seneca in Thyeste:

— *ubi non est pudor,*

Nec cura inris, sanctitas, pietas, fides,

Instabile regnum est:

Ve

Verum an diuersas in Republica Religiones esse expediat, sæpius lacertis quam chartis, armamentis, quam argumentis agitata quæstio est. Quæ inde dissidiorum ciuiliū faces accensæ sint; qui bellorum strepitus, animus meminisse horret, luctuque refugit. Litigerum illud regnum istis bellorum ciuiliū turbinibus, quibus millia hominum absumta, sanguine humano fere inundatum, non sine gemitu intuemur! Florentissima Germania eodem infortunio implicata, & haud raro disceptationis huius aculeos heu indigne perpessa est. Sed reuoco me ad thema propositum.

Diuersas in Republica religiones admitti posse multorum scriptis, rationibusque defensa est opinio. Hi cum Theodorico rege Gothico religionem esse liberam volunt; cum nihil tam voluntarium sit, quam Religio, in qua si animus auersus est, iam sublata, iam nulla est: Neminem perinde animis imperare posse, ac linguis cum mentium Rex Deus sit, corpora obnoxia esse & adscripta dominis: mentem quidem sui iuris, quæ adeo libera & vaga est, vt nec ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo vtatur, & infinitum comes coelestibus exeat adeoque nemini imponi posse necessitatem vel credendi quod nolit, vel quod velit non credendi, nec quemquam efficere posse, vt quicquam agamus præter animi sententiam. Id laudatissimo Heroi Stephano Regi Poloniae visum, qui crebris sermonibus vsurpare solitus est: Deum tria sibi reservasse, in quibus nec velit nec possit habere parem

- I. dominari conscientiis,
- II. scire futura, &
- III. ex nihilo aliquid facere.

Et

Et Maximiliano II. Cæsari inuictissimo placuit, nullam intolerabilorem esse tyrannidem, quam dominari velle conscientis. Progrediuntur vltierius sententiæ huius assertores, coacta seruitia ipsum DEUM auersari; peruersum illum atque inuersum esse docendi ordinem, vt a vi & coactione initium fiat: ipsum Christum prohibuisse discipulis, ne quos ad credendum ciuili potestatis auctoritate compellerent, fidem suadendam, non imponendam vulpesque & lupos vineam Domini deuantantes non armis sed argumentis esse capiendos. Extollunt sese altius, & quasi e spelunca circumspiciunt florentissimo Europæ Asiæque regna: Intuentur pacatissimam Germaniam, in qua vigore pacis religionis, interdum coniuges in religione quidem dissentire, parentes & liberos diuersa sacra sequi, fratres & sorores in vna interdum domo in plurimis coelestis doctrinæ capitibus discrepantes fouere sententias, in politicis tamen & domesticis rebus concordēs viuere deprehendunt. Contemplantur fortissimam Galliam; eam tranquiliorem & pacatiorem factam esse, quam primum liberum Religionis exercitium permittum: idemque in aliis regnis & provinciis obtigisse. Latissimum & firmissimum esse Turcarum imperium, qui tamen varias sectas tolerant; neque adduci potuisse Sulimannum Sultanum magnis suorum precibus, vt Christianos ad Alcorani leges adstringeret: Atque vt in horto varietas herbarum atque florum non solum nihil obest, sed mirifice oculos & sensus recreat: Sic in imperio diuersam fidem & religionem potius vsui esse quam oneri.

Aiunt præterea Iudæis etiam olim varios fuisse admixtos: Principesque Christianos, cœtus ac synagogas
Iudæ

Iudæorum, quas olim Tiberius, Claudianus, ac Domitianus
vetuerant, permisisse, eosque hodie in multis Imperii
liberis ciuitatibus & prouinciis secure viuere: Egypti-
os etiam variam & miscellam religionem induxisse, sta-
biliendo sceptro, & ne unquam conspirationi locus in-
ter eos esse possit. Sed quid in huius opinionis relati-
one immoror longius ?

Quicquid illud sit, non adducor vt credam, expe-
dire reipublicæ religionum diuersitatem: Immo non co-
alescunt in ciuilibus subditorum animi, nisi in ipsa acti-
onum summa, in religione scilicet, prius conueniant.
Magistratui ergo hoc vnicum ante oculos versetur, re-
ligionem & venerationem nullam aliam nisi vnus DEI
tenere, & prospicere, quantum fieri potest, vt multitu-
dinis credentium sit cor vnum, & anima vna. Vnum
Imperii corpus vna religione regi necesse est: Istud est
vinculum, per quod Respublica cohæret, ille spiritus
vitalis, quem hæc tot millia trahunt: nihil ipsa per se
futura, nisi onus & præda, si mons illa Imperii subtra-
hatur. Quod si is, qui anathematis nomine inuisus est,
fugiendus, quid statuendum de eo, qui neglecta vera re-
ligione, alienam amplectitur? Consortium eius euitan-
dum: præcidendum putridum aliquod membrum, ne
pars sincera trahatur. Quin ipsa diuina voce religio-
num improbat diuersitas. Deuteron. XIII. & falsos
prophetas sustulerunt e medio Elias, Iehu, Iosias, & a-
lii, quam diuini iuris sanctionem Imperatores sapienti
consilio repetiuerunt; Quinimo hac religionis diuersi-
tate ad extremum Numinis contemptum fenestram ape-
riri latissimam, in confesso est: In neutram enim cre-
dit, qui leges contrarias admittit. Taceo, quod sedi-
tiones

tiones ex eadem pullulant ; quod videre licet ex historia Mosis Cretensis, Munzeri, & Eoarum Parisiensium.

Quid quod Romanis etiam Ethnicis displicuit ista diuersitas : Aedilibus enim id negotii datum, vt animaduertent, ne qui nisi Romani Dii, ne quo nisi patrio more colerentur. Saluam ergo tamdiu futuram crediderim Rempublicam quamdiu vera atque vna in ea viguerit religio. Optare istud quidem, sperare fortassis vix licet. Sapientissimi ergo Rerumpublicarum Moderatores in eo genere Nauclerum imitantur, qui cum eo, quo cupiat, pergere non possit, eo quo potest cursum dirigit, ac sæpe velificatione mutata procellis & tempestatibus obtemperat, ne si cursum tenere velit, naufragium patiatur. Hoc quoque prudentis est gubernatoris, dispicere, an diuersæ religionis ciues hæresin amplectantur tantum, an etiam spargant. Illi, si pacate viuant, spe conuersionis, & pacis publicæ gratia tolerandi videntur. Hi, si in fraterna admonitione non acquieverint, ex Republica exterminandi sunt. Sed quo tandem me loco sisto ? Fertilissimum hic dicendi campum ingressus sum : specilegiis istis collectis abeo ; Cætera

— *spatiis exclusis iniquis*

Præterea, atque aliis post me memoranda relinquo.

Quod igitur superest, coram Tua Maiestate, summe & æterne DEVS, a quo omnis in hominum mentes illabitur sapientia, supplex procumbo.

Omnipotens, æterne atque misericors PATER, cuius in manu sunt omnia, cuius Nutu regitur orbis,

B

cu-

'culus dextra tuetur Ecclesiam, peculium Tuum iam inde a primis initiis per varia rerum discrimina & temporum vicissitudines adhuc, sapientissime intuere Domine, Rei Christianæ publicæ per omnem mundum dispersæ, ac periclitantis miserrimam sortem intuere, quæsumus, Verbi Tui ac cœlestis Doctrinæ castitatem conserua, scholarum omnisque adeo adolescentiæ & iuuentutis salutem curam habe, vt salute humani generis, quæ in recta iuuentutis formatione radices agit, restaurata floreat Respublicæ vigeant regna emendetur mundus, reuiuescat Ecclesiæ natiua indoles. Serua PRINCIPEM nostrum Optimum, Domumque totam Serenissimam, & sub Eius sceptro tranquilla Tuæ Ecclesiæ largire haleyonia. Ecclesiarum salutem promoue, Rei scholasticæ, omnisque disciplinæ ordinem revoca, vt etiam Salus inter nos, Pax, Concordia, redux sit perpetua atque æterna.

* * * * *

Reliquum quod est, pauca adhuc dicemus de eo, quare hasce pagellas composuimus. Instat scholæ nostræ dies lustricus, in quo discipuli secundi ordinis solemne examen subibunt. Vbi simul exercitii causa docebunt Fabulam tragicam, cui nomen est

**Der von seinem Sohne errettete
Vater**

Agen-

Agentes personæ sunt :

- 1). Ptolomæus, der König von Scythien.
- 2). Priamus, der Prinz desselben.
- 3). Cairus, ein Minister des Königes Ptolomæi
- 4). Olivarez, ebenfalls ein Minister,
- 5). Don Pedro, der Hofmeister des jungen Prinzen
- 6). Philippus, des Prinzen Antagonist,
- 7). Valentius, ein Officier des Philippi,
- 8). Alcandro, ein Minister des Philippi.

Nomina vero discipulorum sunt :

- 1). IOANNES CAROLVS EMANVEL BLEI, Cotheniensis,
- 2). IOANNES CHRISTIANVS LEBRECHTVS CLÆPIVS, Cotheniensis.
- 3). FRIEDERICVS LVDOVICVS CHRISTIANVS BEHR, Biendorf-Cotheniensis.
- 4). ERNESTVS GODOFREDVS HOLTZMANN, Cotheniensis
- 5). CHRISTIANVS GODOFREDVS RODE, Baasdorf-Cotheniensis.
- 6). GEORGIVS LEBRECHTVS CASIMIRVS WERTH, Cotheniensis,
- 7). IO-

- 7). IOANNES HENRICVS FRÆSDORF, Aquis-
grani ad Albim natus.
8). CHRISTIANVS GODOFREDVS SCHOENE,
Cotheniensis.

Quo circò & scholæ nostræ ANTISTITES pluri-
mum REVERENDOS, eiusque PATRONOS CON-
SVLTISSIMOS, æque ac omnes, qui cum musis faci-
unt cuiusuis ordinis ac conditionis SPECTATISSIMOS
enixe rogamus, vt huic festiuitati interesse, no-
straque conamina, sint qualicumque sint,
æqui bonique consulere minus
dedignentur.



82 243

82243

ULB Halle 3
005 354 412






1764 2

DIVERSAS IN REPUBLICA
RELIGIONES ADMITTI POSSE,
DEMONSTRAT,
ET

VIROS

GENEROSISSIMOS PLVRIMVM
REVERENDOS EXCELLENTISSIMOS, PRAE-
NOBILISSIMOS, CONSVLTISSIMOS,
AMPLISSIMOS etc.

SCHOLÆ REFORMATÆ FAVTORES ATQVE IN-
SPECTORES OMNI QVA DECET, ANIMI MO-
DESTIA COLENDOS



COTHENII,
LITTERIS SCHOENDÖRFIANIS.